

adhuc errant, quando per inuocationes, deprecationes & sacrificia nituntur eos homines placare, & adducere pro utilitate hominum: facilius enim sine comparatione à Deo impetrandum foret, vel à bonis spiritibus, quicquid homo debet utile reputare. Sed nec in his inutilibus fauorabiles assistunt spiritus maligni, nisi in quantum propter hominum peccata à Deo permittitur, qui humanum genus regit & gubernat, & ideo istæ viæ sunt præter sapientiæ documenta, imò melius in contrarium operantur, nec vnquam Philosophantes de his sex modis curarunt.

Quid verò de carminibus, & characteribus, & huiusmodi sit tenendum, considero per hunc modum. Nam proculdubiò omnia huiusmodi nunc temporis sunt falsa & dubia: nam quædam sunt irrationabilium, quæ Philosophi meminere in operibus naturæ & artis, vt secreta occultarent ab indignis, sicut si omnino esset ignotum, quòd magnes traheret ferrum: & aliquis volens hoc opus perficere coram populo, faceret characteres, & carmina proferret, vt perficeretur attractionis vis: hoc totum opus esset error. Sic igitur quamplurima in libris Philosophorum occultantur multis modis, in quibus sapiens debet hanc habere prudentiam, vt carmina & characteres negligat, & opus naturæ & artis probet. Et sic animatas & inanimatas videbit ad naturam concurrere, propter naturæ conformitatem, non propter virtutem carminis vel characteris. Et sic multa secreta naturæ & artis existimantur ab indoctis magica, & magi confidunt stultè carminibus & characteribus, quòd eis præbeant virtutem, & pro assentione eorum relinquunt opus naturæ vel artis, propter errorem carminum & characterum. Et sic vtrunque genus hominum istorum priuatur utilitate sapientiæ, sua stultitia cogente. Sunt autem quædam deprecationes antiquitùs institutæ ab hominibus veritatis, aut magis à Deo & angelis ordinatæ, & huiusmodi virtutem suam primam possunt retinere. Sicut in multis regionibus adhuc quædam orationes fiunt super ferrum candens, & super aquam fluminis, & similiter alia, in quibus innocentes probantur, & rei damnantur, & autoritate credun